

VERSUS 13.

Et dixit Jesus Centurioni; *cade, et sicut credidisti fiat tibi; et sanatus est puer in illa hora.*

1. — De hoc Centurione nequaquam dici potest, quod per minimam adulationis motivum Christi favorem vel amicitiam sibi conciliavit. Unde Chrysostomus, *Hom. xvii in Math.*, ait : « Verum ne « adulatione aliqua usum Centurionem quisquam « putet, utque omnes ex animo locutum intelli- « gant, audi quid inferitur : *Vade, et sicut credidisti, « fiat tibi.* » Saulus repentina et miraculosa servi eodem tempore facta, inquit idem Sanctus Doctor, « Domini omnipotentiam et Centurionis fidem pa- « tefecit. »

2. — Denique, scilicet tam de Domino quam de servo, asserere possumus, utrumque languentem et aegrum fuisse; ille enim in anima, hic vero in corpore infirmabatur, ut Basilus Seleucus, *Orat. xv*, his verbis scribit : « Puer membris dissolutus ja- « cens, Domino suo duccatum prebet ad Dominum; « servi sanationem Centurio requirens, Dominum

« reperit, dumque servi sanationem venatur, fit « ipse Domino preda; servus ægrotatione lethali « ægrotat, sed dominus ante servum præsanatur, « servus aeger est corpore, sed dominus anima « sanctificatur. »

3. — Argute Jansenius considerat benignissimum Salvatorem huic Centurioni nequaquam præcepisse, ut cingulum militare deponeret, postquam a Domino tanto elogio deprecatus fuerat : *Non inveni tantam fidem*, etc. Similiter S. Petrus, postquam alterum Centurionem baptismatis lavacro linxisset, non præcepit ei, ut se a Cæsaris signis, quibus nomen suum dederat, deinceps subdueret; neque Joannes Baptista militibus ipsum, de sua asscuranda salute, interrogantibus, necessum illis ad salutem esse respondit, ut a militia recederent, quia ut idem Jansenius ait : « Sicut magistratu et « legibus, ita et militibus opus est ad pacem tuen- « dam. » Præterquam quod timor Dei cuius statui et vocationi adaptari possit : *Quis est homo qui « tinet Dominum? legem statuit ei in via, quam ele- « git.*

DOMINICA QUARTA POST EPIPHANIAM

EVANGELIUM MATTHEI, CAP. VIII, VERS. 23

23. Ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus.
24. Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus; ipse vero dormiebat.
25. Et accesserunt ad eum discipuli ejus, et suscitaverunt eum, dicentes : Domine, salva nos, perimus.
26. Et dicit eis Jesus : Quid timidi estis modicæ fidei? tunc surgens imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna.
27. Porro homines mirati sunt, dicentes : Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei?

VERSUS 23.

Ascendente eo in naviculam.

1. — Dominus et Salvator noster, prout advertit Origenes, *Hom. vi in divers.*, multa hæcenus et stupenda quidem miracula patravert in terra, nunc igitur ad mare transit, « ut ibidem et excel- « lentiora opera demonstraret, quatenus terræ ma- « risque Dominus cunctis se ostenderet. » Ascendit autem in naviculam quandam, eamque ad pauper- culum quandam piscatorem proprietarie spectan- tem, non pretiosis mercibus onustam, sed humilem et abjectam. « Non ascendit negotiatoriam aliquam « navem, » inquit Didacus Stella, *in e. viii, Luc.*, « aut sumptuosam, sed piscatariam; quo docet, se « mundi contemptibilia, paupertatem et humili- « tatem amare. »

2. — Per medicum hoc lignum sive naviculam, aliqui crucem intellexerunt. Ita S. Antonius de Padua, *Serm. in hoc Domin.*, dicit : « Ista navicula est « crux Christi; hæc est navis institoris, in qua ce- « lebravit nundinas suas. » Quisquis in mari hujus vite presentis ad portum Paradisi feliciter appel- lere desiderat, ei, ut hanc naviculam conscendat, necessum erit. Unde Beda ait : « Navicula, quam « ascendunt, nulla melius, quam Dominicæ Passio- « nis arbor intelligitur. » *In lib. Sapientia, xv, 3*, dicitur : *Exiguo ligno credunt homines uniuersos suos et transeuntes mare, per ratem liberati sunt; quo idem in presenti proposito dicere possumus, scilicet quod si quis in hoc ligno crucis, mare presentis vite ænaviget, animam suam securissime sal- vabit.*

3. — Salmeron, *tom. VI, tract. xii*, diffuse per

hanc naviculam, animam nostram intelligendam esse ostendit, quam eandem interpretationem secutus Hugo Cardinalis, ita scribit : « Per navim « significatur anima; hæc navis mediocriter onerata « securus incedit, quia nimis onerata a vento tolli- « tur; onus est penitentia moderata, in hanc « navem ascendit Deus per gratiam, cum discipu- « lis, id est, sanctis cogitationibus. »

4. — Paulus de Palatio per naviculam istam vitam christianam intelligendam esse scribit, quia sicut nemo mare sine ligno trajicere potest, ita nemo in hoc sæculo vitam æternam secure sibi potest promittere, nisi vitam agat christianam; quam dum allusionem deinceps magis declarat, sicut enim navis colum versus omnino aperta est, ex ea vero parte, qua mare respicit, totaliter clausa et obfirmata esse videtur, licet, ex sola parte angustiori mari supernatet : « ita vita christiana « tota a celo respicitur, tota a celo dependet, tota « a celo influitur; ex parte vero externa mare con- « tingit; summus ab eo necessaria vita. »

5. — Hugo Cardinalis hunc navis titulum B. Mariae Virgini attribuit : « Per naviculam B. Virgo « intelligitur, quæ parva fuit per humilitatem; « hanc naviculam ascendit Jesus in Nazareth, « quando ipsa dixit : Ecce ancilla Domini; in hac « navi dormivit Jesus mensibus novem, sed ipso « excitato, id est, nato, facta est tranquillitas « magna; » siquidem in Christi nativitate pax universalis se per universam terram extendit.

6. — Magis autem proprie per hanc naviculam Ecclesia intelligitur, de qua auctor Imperfecti, *Hom. xxii*, ita scribit : « Navigat instructa fidei gubernata- « culo felici cursu per hujus sæculi mare, habens « Deum gubernatorem, Angelos remiges, portans « choros omnium Sanctorum, erecta in medio ipsa « salutari arbore crucis, in qua Evangelicæ fidei « vela suspendens, flante Spiritu Sancto ad portum « Paradisi et securitatis quietis æternæ deducitur. » Sine navi, qui aquas ingreditur, submersiois periculo se exponit; sine Ecclesia et ejus fide ac religione nullus salvatur; navis ex ea parte, qua aquas respicit, nullam sustinet divisionem et aperturam : Ecclesia non admittit divisionem et discrepantiam etiam in unico duntaxat fidei articulo; navis ab unico tantum nauclero gubernatur, movetur a ventis, tempestatibus subjacet, etc. Ecclesia unicum tantum Pastorem et nauclerum habet, qui illam moderatur et dirigit, persecutionibus impetitur hæreticorum, paganorum, et perverse viventium, atque favorabili Spiritu Sancti aura afflante, inter omnia sibi adversantia provehitur. De eadem dici potest, quod loco arboris sive mali fidem; pro anchora spem, pro funibus et rudentibus charitatem, pro antenna crucem, pro temone prudentiam, pro velis denique sancta desideria habet. Idem quoque Hugo Cardinalis sentit, dum ait : « Mystice per navim

« Ecclesia, » sicut enim navis in principio et fine stricta et angusta est, et in medio ampla : « sic et « Ecclesia in principio arcta fuit, quia pauci credi- « derunt; et in fine similiter cum refrigerasset cha- « ritas multorum; sed in medio, id est, nunc « plures credunt. » Unde nonnulli bene observa- runt, usum esse antiquum, Ecclesiarum fabricas in navium formam erigendi.

Secuti sunt eum discipuli ejus.

7. — Salvator noster juxta se discipulos habere voluit, ob honestatem, ut Salmeron ait, et ut tur- bas in illum, ut eum tangerent, irruentes, ab eo coercerent : « Et ut essent testes oculati vite suæ; » ac proinde nunquam sine speciali causa, solus in aliquo loco consistere solebat, prout factum est, dum cum Samaritana solus loqueretur, et quando ipsum regem proclamare volentes, dedinavit et fugit; et tandem quando ipsum lapidare et de monte præcipitem agere satagebant. Didacus Stella, *in Luc.*, hoc loco observat quod prius naviculam hanc Christus ingressus fuerit, postea vero ipsam quoque secuti fuerint ejus discipuli. « Nam in « laboribus et periculis, Magister et Dominus præ- « ire debet, ut discipuli et famuli sequantur. » Ad idem quoque consideratio quadam S. Anselmi alludit, qui per hanc naviculam lignum crucis et Passionis intelligit. Ait enim : « Navicula vero, « quam ascendit, intelligitur arbor beate Passio- « nis, cujus auxilio fideles adjuti, transcendens « mundi fluctibus, ad stabilitatem patriæ celestis « perveniunt. »

8. — Per hanc Apostolorum sequelam, imitatio Christi intelligi potest, quæ Apostolis specialius impressa fuit : « Firmi et stabiles in fide, hi secuti « sunt eum, non tantum gressus ejus sequentes, « sed magis sanctitatem comitantes. » Ita S. Thomas. S. Chrysostomus autem postquam dixisset, ideo Christum discipulos suos penes se constitutos esse voluisse, ut miraculi illius, quod patraturs erat, spectatores essent, subjungit, *Hom. xxix in Math.* : « Nam ut palestæ magister optimus, ad « utrumque eos exercebat, ne aut terrore vin- « cerentur in periculis, aut honoribus efferen- « tur. »

9. — S. Bonaventura in hac Apostolorum sequela perfectionem ipsorum, nec non, quo erga Magis- trum suum ardebat, amorem expressum fuisse, dum illum non deserunt, nec unquam se ab eo divelli patiuntur : « Ut ostendatur perfectio comi- « talis, quia nunquam desererebant, » adducitque illum textum Jobi, xxiii, 11, in persona ipsorum dicentis : *Vestigia ejus secutus est pes meus, viam ejus custodivi, et non declinavi ab eo.* Eodem modo S. Antonius Paduanus meditat, beatam appel- lans animam illam, quæ Salvatori idem dicere poterit, quod Ruth, 1, 16, Noemi dicebat : *Quocum-*

que perrederis, pergam; ubi morata fueris, et ego pariter morabor.

10. — Observandum etiam hoc loco est, quod, dum Christus pedem super mare, inter salsas illius undas et tempestates figere incipit, nullus ex multitudine plebis illum sequitur aut comitatur, verum omnes in terra firma remanserunt, exceptis discipulis. Unde Paulus de Palatio: « Cum prædicaretur Christus Redemptor, amator, miracula faciens, nemo est qui eum non sequatur. » Omnes turmatim accurrunt, adeo ut Apostoli Christo dicant: « Turba te compriment; at si in naviculam ascendit sanctæ conversationis, eum pauci sequuntur. » Inter salsas et insipidas adversitatem et persecutionum aquas, pauci sunt, qui post Christum vestigiis insistant; et hæc forte causa fuit, cur, ut ait Chrysostomus, « ubi miraculorum ostensio erat, plebem permittit adesse, ubi autem tentationum et timorum arrepto, athletas orbis terrarum, quos exercitaturus erat, hos solos assumpsit. »

11. — Denique dici potest, Christum has inter tempestates positum, discipulos in sua societate secum habere voluisse, ut ipsis et nobis omnibus sequacibus suis per hoc immeret, quod cum ipso pati, illiusque ærumnarum et passionum participes fieri debeamus; quia si socii passionum erimus, sic erimus et consolationis; illæ namque aquæ amara, per quas navigabant, aliud nihil quam adversitates significant.

Adiciones.

a. — Ascendente Jesu in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus. Multi multis Evangelicam hanc naviculam similitudinibus explicant, ut supra videre est, quibus hæc addenda pia S. Anselmi consideratio: « Navicula vero quam ascendit, intelligitur arbor beate Passionis, cujus auxilio fideles adjuti, transiens mundi fluctibus, ad stabilitatem patriæ cœlestis perveniunt. » Passio enim Christi Paradisum nobis aperit, cujus is, qui eam devote meditantur, certum et infallibile pignus obtinet; unde canit S. Mater Ecclesia: « Tu devicto mortis aculeo, aperuisti credentibus regna cœlorum. »

Ante diem quo Christus crucifixus fuit, Paradisus cœlestis apertus fuisse nusquam legitur, nisi quando Christus homo latroni dicit: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Ipsemet Christus discipulis in Emmaus absentibus cœli viam per crucem apertam fuisse dixit: *Oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam.* Ludolphus Carthusianus ritum, quo Ecclesia crucem inter chorum et cancellos templi collocare consuevit, considerans, inquit: « Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum, quod bene figuratur per hoc quod crux ponitur inter chorum et cancellos Ecclesie, ut qui chorum intrare voluerint vadant sub crucem; quia ab Ecclesia militante ad triumphantem, nemo nisi per crucem potest intrare. » Unde

Ludovici Blossius, meditationem Passionis, summam et compendium vocat nostre salutis, inquit: « Quotiescumque aliquid bene meditaris, aut legis de Passione Domini Jesu, sanctificaris inde, et ingentem fructum reportas, etiamsi parvo admodum affectu, sine ullo sapore sensibili mediteris ac legas. Fieri nulla ratione potest, ut vel aspicias tantum piis oculis imaginem Crucifixi, sine grandi utilitate, cum ibi salutis tue summam invenias. »

Divus Chrysostomus, inter alia crucis Christi encomia, sequentia enumerat, dicens: « Crux Christi Dei in homines odium restinxit; Deum cum hominibus reconciliavit; terram cœlum effecit; homines cum Angelis miscuit; mortis arcem munissimam diruit. » Doctor Angelicus similiter multos recensens mortis Christi bonos effectus, inter alios hunc quoque enumerat: « Christus per Passionem suam, non solum hominem a peccato liberavit, sed etiam gratiam justificantem, et gloriam beatitudinis ei promeruit. »

Celestis Sponsus, B. Angelam de Fulgino, dilectam Sponsam suam, inter alia, his verbis affatus fuisse legitur: « O vos vere beati, et omnino benedicti! Si in cruce pro meis crucifixoribus, cum lacrymis, et fletu, rogavi Patrem meum, et excusavi, dicens: « Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt; quid pro vobis, qui mihi compassi, devoti et consocii fuistis, dicturus sum, cum non in cruce, sed in gloria felicissimum orbem indicabo? » Alia vice, meruit B. Angela, hæc audire verba consolatoria: « Benedicite qui mee Passionis, que est salus et vita perditorum, solum refugium peccatorum, memorie, et devoti, et compatientes eritis; quoniam vere, et regni, et gloriæ, et resurrectionis, per quam ipsam acquisivi, eritis participes mecum, et coheredes in perpetua sæcula seculorum. » Refert et hæc addere verba Doctoris Seraphici: « O cœcitas filiorum Adæ, qui per hæc vulnera in Christum nesciunt introire! Supra vires suas laborant in vanum, et aperta sunt ostia ad quietem. » An ignoratis, quod Christus est gaudium beatorum? Cur tardatis per sui corporis foramina, in illud gaudium introire? Beatitude Angelorum patet; paries ejus confractus est, et vos introire negligitis? »

b. — Navicula in quam Jesus ascendit est Ecclesia sen fides. Ascendunt cum eo et discipuli quia requirunt ad salutem, ut ambulemus in fide ac Ecclesia Christi, que est una, nempe sancta, ac romana et catholica Ecclesia. Cujus fidei veritas, ex testimonio divino, ex Prophetarum oraculis, ex concilio, lotique innumerabili Doctorum sanctorum, cum sacra Scriptura consonantia, clare deducitur.

Nec minus evidens est fidei argumentum, quod illa in tam brevi temporis spatio, per homines idiotas et illiteratos, tanto cum fructu ad omnes populos etiam illos qui in impietate sua occaluae-

rant, fuerit extensa, licet per illam res proponerentur difficiles intellectui et sensui admodum repugnantes. Et hæc eadem fides semper inter persecutiones perseveravit, imo per eandem, majora in dies incrementa accepit. Sanguis martyrum semen fuit Christianorum: multiplicitas et atrocitas, que pertulerunt martyres suppliciorum, evidenter ostendunt fidem eorum non esse nisi a Deo. Nec ipsis defuerunt, a Deo consolationes in mediis tormentis, aut vires ad sustinendum.

Fides Ecclesie romanæ, in sæculis antea, nunquam obscurata est, sed per æmulum contradictiones et confutationes, solidius confirmata et stabilita; unde evidenter ejus veracitas deducitur. Christianæ fidei sanclitas multos habuit sequaces, eosque Sanctos effecit, non obstante, quod virtus, quam suadet, naturæ nostræ corruptelæ adversetur. Contra vero, quod sectæ profanæ multos habeant sectatores, mirum non est, cum omnem carni et sensui permittant libertatem.

c. — Observatum est quod dum Christus pedem super mare inter salsas illius undas et tempestates figere incipit, nullus ex multitudine plebis illum sequitur, aut comitatur, verum omnes in terra firma remanserunt, exceptis discipulis: ast vero dum prædicat, miracula faciens, nemo est qui eum non sequatur; omnes turmatim accurrunt, adeo ut Apostoli dicant: *Turba te compriment.* At si naviculam ascendat sanctæ conversationis, eum pauci sequuntur. Innumera utique multitudo populi sequatur Christum montem Calvarie: ascendentem, paucissimi vero debito cum fine. Dionysius Carthusianus, in *Luc.*, aliquos licet paucos, Christum secutos fuisse, existimat, ex motivo compassionis; ita enim scribit: « Quidam sequebantur compatiendo, sed multo plures deludendo, et crucifixionem ejus optando; imo quo ante famosior fuit, eo plures secuti sunt ad videndum spectaculum. » Fuerunt quoque ibi aliqui viri discipuli et amici Christi, ut Nicodemus, Joseph, Joannes Apostolus, et forte Galamiel et alii, qui licet vehementer dolerent, fletum tamen non posse represserunt. Denique credibile est, multos in illa frequentium turbarum multitudine fuisse, qui, utpote multis et magnis ab ipso beneficiis cumulati, ex motivo compassionis et gratitudinis ipsum ad locum supplicii usque fuerunt persecuti; inter quos certum est fuisse S. Veronicam. Ita et hodie non desunt qui regiam viam sanctæ crucis, Christo duce, sequi non detrectant.

d. — Patet ex Evangelico textu, Christum prius intrasse in naviculam, quam discipuli, quia Christus erat Dominus, et quo vadit Dominus, vadunt et famuli, sicut corpore, ita et exemplo. Unde colligitur quantum fructum Prælati causent, si suos subditos bono præeant exemplo. Volens Apostolus Titum discipulum suum, quem

in Candia Episcopum ordinarat, adhortari, ut gregem a barbaris seductum, ad fidem veram reduceret, plus ei, per vitam exemplarem quam per eloquentiam energiam conandum esse inculcat, dicens: *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, ut qui ex adverso est venatur, nihil habens malum dicere de nobis.* Ubi S. Anselmus subiungit: « Quod ut effici non sit arduum aut difficile, Magistrum formam esse præcepit. » Quibus verbis, ut idem S. Doctor insinuat, S. Paulus, Tito modum præscribit, quem in eradicandis vitiorum zizanias, plantandisque virtutibus christianis, servare debet: « Ut ea que docet, » inquit S. Doctor, « quomodo faciat, » ostendat, ut ii, qui profani sunt, et inimici fidei, erubescant, videntes quia que verbis docet, vera esse probat, factis. » S. autem Anselmus, personam Apostoli assumens, ita dictum exhortatur Episcopum: « Ut doctrina tua sit efficax, præbe te ipsum exemplum bonorum operum, id est, ita vive, ut sis omnibus forma bene vivendi, et qui te viderint, legant in operibus tuis velut in libro, quid agere debeant. »

Apud S. Joannem, x, 4, Christus Salvator noster de bono pastore, id est, de bono Prælate disserens, ait: *Oves vocem ejus audiunt; cum proprias oves miserit, ante eas vadit, et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus.* Ecce tibi in hisce verbis clare expressam in bono Prælate, relucens altaris exempli efficaciam; pastor enim vite sue exemplaritate præcedit, quia ante eas vadit. Et quid inde sequitur? *Et oves illum sequuntur;* nam ut S. Leo ait: « Validiora sunt exempla, quam verba. »

e. — Prius Jesus ascendit in naviculam; et ut ait Marcus, iv, 34, deinde dicit: *Transseamus contra;* seu ut Lucas narrat, vii, 22: *Transseamus trans stagnum.* Insigne certe verbum decens imperatorem et ducem; non enim suos jubet abire in mare, ac in periculum, et ipse manet domi deliciis indulgens, sed simul cum eis pergit, et dum præcipit, simul ipse vadit ac prius ascendit. Et optime quidem ad superiorum instructionem; bonum enim exemplum magnæ est utilitatis et necessitatis, præcipue in eis qui in regimine et superioritate aliis præsent. *Qualis rector est civitatis, tales et inhabitantes in ea,* dicit Ecclesiasticus, x, 2. Quisquis enim subditorum propensionis examinat, illas ut plurimum suam a principibus quibus subiciuntur originem habere inveniet. Ingeniosa est S. Thomæ de Villanova propositio, qui regi titulum magni prædicatoris attribuit dicens: « Magnus prædicator rex est; plus proficit verbo et exemplo quam omnes mundi prædicatores. » Quamvis enim verissimum sit axioma illud quo dicitur, quod Deus non sit acceptor personarum, nihilominus, Ecclesia, inter alia Sanctorum encomia, etiam illustres et nobiles illorum natales, si ejusmodi habuerint, commemorat, cujus rationem S. Bernardus assignans ait: « Deus

« acceptor personarum non est; nescio tamen cur
« virtus in nobili plus placet, nisi forte quia claret. »
Ecclesiae enim utilissimi sunt nobiles ac potentes, in
quibus relectae sanctitates, idque propter eorum exam-
pla quae super candelabrum positi, et resplendentes,
in multos transmittunt.

Nescio an aliquando observaveritis exactissimam,
quam milites, illi Centurioni Capharnaico exhibebant
obedientiam, et obsequii promptitudinem, de
qua ipse Centurio testimonium perhibens dicit :
*Habens sub me milites, dico haec : Vade, et vadit; et
alii : Veni, et venit; et alteri : Fac hoc, et facit.*
Prompta haec obedientia militum nemini nostrum
mira videri debet, si considerentur verba quae
sapiens et circumspiciens Centurio ille, paulo ante
praemisera, scilicet : *Num et ego homo sum sub
potestate constitutus.* Tametsi enim ipse alteri capiti
se superiori, subjectus fuerit, credibile tamen est,
quod eidem exacte, et punctualiter obediendo,
bonum quoque ad milites gregarios sub se militantes,
exemplum transmiserit. Magna est praerogativa,
eaque ad extimulandos subditos valde efficax
si is qui caput est, in excoquendo eo quod praescribitur,
primus sit.

f. — Soli discipuli cum Domino ascendunt, et
nullus de turba intromittitur. Cum hoc Christus
agnovit, quod discipuli sui in maris periculo erant
infirmi futuri, et hac de causa erat ipse increpaturus
eos dicens : *Modicæ fidei.* Disposuit ergo, ut turbæ
ibi non adessent, ne discipulorum viderent defectum,
neque Domini in eos reprehensionem assisterent;
tum quia reprehensio debet esse secreta, ne
crimina propalantur; tum quia non videbatur decens
ut eos quos antea Dominus ita laudaverat, dicens :
Vos estis sal terræ, vos estis lux mundi, in publicum
argueret, eorumque defectum coram multis ob-
iiceret. Correctio enim cum discretione et dexteri-
tate instituenda est, distinguendo inter personas
corrigendas, confusionem illarum, quoad fieri po-
test, precavendo, invehendo solum contra vitium,
et si quid boni in corrigendo reperitur, illum prius
laudando, quam adhibere correctio. Porro quia
illi quibus munus corrigendi alios ex officio aut
charitate incumbit, nonnunquam nimio zelo abri-
piuntur et parum cauti sunt, et discreti, ideo operæ
pretium erit, si tales monitum illud ut utilissimum,
continuo sibi ob oculos ponant, quod ad illos hac
in re erudiendos in concilio quodam romano, his
verbis traditur : « In perniciem propriam accen-
ditur, qui sic sevit in gratiæ suae germina, ut
« plantas abscondat. » Etenim agricola, cui vinea
aliqua ad culturam concessa est, graviter utique
puniri meretur, si dum luxuriantes vitis alicujus
palmites amputandi tantum erant, ipse vitem solo
tenus detruncaret. Vites enim amputatæ majorem
fructum edunt, cum e contra detruncatæ penitus
sterilescent, et ad nihilum ultra valent, quam ut in

ignem conjectæ comburantur. Sic quoque fervor
correctionis ad vitiosorum ordinatur emendationem,
ut speratum in vinea Ecclesiae Dei fructum edant.
Correctio autem nimis severa, rigida, et indiscreta
impium hominem in desperationem saepe numero
arrogat, ipsamque in erroribus suis magis efficit
adrigentem, obstinatum, et inverecundum, quæ
omnia ut evitentur, magna opus est circumspec-
tione et charitate.

g. — Divus Thomas, per naviculum, crucem
intelligit, et ascendentem Dominum in crucem,
seculi sunt eum discipuli ejus, ad exemplum nos-
trum; ut si Christus pro nobis crucifixus est, et ex
hoc mari mundi transfretavit in gloriam suam,
debemus et nos omnia quæ sunt mundi, propter
illum crucifigere, eum hic perfecit imitantes, ut et
sequamur in gloria. Quam quidem gloriam Christus
nobis consignat, sed cum eodem onere, quocum ille
ipsam acquisivit, id est, sub onere crucis et passio-
nis, quæ regnum ipsius fuit.

Oborta inter Apostolos de primatu contentione,
ut legitur apud Lucam, xxii, 24 : *Facta est autem
contentio inter eos, quis eorum videretur esse major,*
sapiens Magister noster Christus, ut Cajetanus notat,
« retrahit eos ab ambitione ex premio præparato
« eis in caelestis gloria, ut non solum ex tanti tem-
« poris merito, sed ex præparato tam excelso præ-
« mio erubescant ambire. » Advertendum tamen
est, quoniam modo Christus eis beati illius regni
investituram et possessionem promiserit : *Dispono
vobis, sicut disposuit mihi Pater regnum,* ubi ponderanda
sunt verba illa : *Sicut disposuit mihi Pater.*
Rupertus Abbas inquit : « Hoc ius legale est apud
« caelestem Regem, ut sicut ipsi disposuit Pater
« regnum, ita nobis disponat premium, perma-
« nentibus cum illo, in tentationibus ejus. » S.
Bonaventura, in *Lucam*, ait : « Pater disposuit Filio
« quod perveniret ad exaltationem per humiliati-
« onem. » Unde ipsemet Filius dixit : *Nonne hæc
oportuit pati Christum,* etc. Et Paulus ait : *Humi-
lavit semetipsum factus obediens usque ad mortem,
mortem autem crucis; propter quod et Deus exaltavit
illum.* Ac tandem, S. Doctor concludit : « Sic et
« Filius disponit nobis eodem modo. »

In celebri illa historia, quæ circa duos illos fra-
tres germanos Zebedæi filios accidit, propositionis
hujus veritatem mirabiliter adimpletam esse cernimus.
Cum enim caelestis Magister una cum discipulis
suis, civitati sanctæ appropinquasset, dixit illis :
*Ecce ascendimus Jerusalem, et Filius hominis
tradetur principibus sacerdotum, et scribis, et con-
demnabitur eum morte. Et tradetur gentibus ad illu-
dendum, et flagellandum, et crucifigendum,* *Matth.,
xx, 18, 19;* mox Evangelista non sine mysterio
subjungit : *Tunc accessit ad eum mater filiorum
Zebedæi, id est, novit optime uti sibi occasione
oblata : Tunc, id est, in illa rerum circumstantia*

prodiit mater illa pro ambitiosis filiis suis suppli-
cans et petens : *Dia ut sedeant hi duo filii mei, unus
ad dexteram tuam, et alter ad sinistram, in regno
tuo.* Mira res! Christus de patibulis loquitur, non
de thronis; de clavis, non de sceptris; de purpura,
sed lacera, obsoleta et ridicula; de corona et diade-
mato, sed ex spinis, et sentibus plexo : quomodo
igitur, aut qua fronte, mulier ista prodire audeat in
publicum, ut primas regni sedes filiis suis deposal-
quod *Filius hominis non habet ubi caput reclinet?*
Basilus Seleucus ait : « Antevertit ut apparet, latro-
« nis voces mulier; ille in cruce orationes fundebat :
« Memento mei dum veneris in regnum tuum; hæc
« autem crucem pro regno supplicabat. » Verissi-
mum namque esse intelligebat, quod postea S.
Paulus, II ad *Tim., ii, 12,* dixit : *Si sustinebitis, et
conqueretis.* Idem Basilus addit : « Vis mulieris
« fidem cernere? supplicationis quære tempus.
« Quando libellum supplicem offert? Quod postu-
« lationis tempus? Crux erat parata. » Et hæc
regnum est Christi : *Dominus regnavit a ligno,*
inquit Propheta Regius.

VERSUS 24.

*Ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navi-
cula operiretur fluctibus, ipse vero dormiebat.*

Et ecce motus magnus factus est.

1. — Instabile illud maris elementum alia qua-
dam vice se Christo obsequiosum præberat. Unde
Chrysologus, *Serm. xx,* ait : « Pedibus Christi
« lumentia terga submerserat, quid modo est quod
« usque ad periculum sui sevit, furit, contendit
« ancoris? » Porro communis est plurimum exposi-
torum opinio, tempestatem istam jussu Christi
fuisse exortam et hoc forsitan est id, quod Auctor
idem dicere voluit, dum ait : « Ut auctori suo quan-
« tum servitatis deberet, ostenderet; » quod etiam
ex S. Luca colligi videtur, qui dicit : *Descendit pro-
cella venti;* naturaliter enim venti ex fundo maris
exurgunt, marisque undas in altum elevat. Et
Origenes, *Hom. vi, in c. viii Matth.,* ait : « Illa tem-
« pestas non ex se orta est, sed potestati parit
« imperantis, ejus, qui educit ventos de thesauris
« suis. » In eadem quoque opinione S. Thomas se
fuisse ostendit, dum ait : « Non est facta tempesta
« ex imperio aeris, sed ex divina ordinatione
« provenit, qui conturbat profundum maris, etc. »
hujus autem divini jussus mysteria multa sunt,
eaque valde considerabilia.

2. — Chrysostomus, *Hom. xxxix, in Matth.,* ait :
« Tempestatem fieri permittit ut liberali ab ea,
« manifestiorem beneficiorum ejus sensum ha-
« beant; » at vero experientia contrarium potius
communitur evenire demonstrat, siquidem superato
maris periculo et post receptam liberationis gra-

tiam, benefactoris nostri Dei ut plurimum oblivis-
citur.

3. — Filius Dei quam maxime sollicitus semper
erat, ut nobis et specialiter Apostolicis suis divinita-
tem suam innotescere faceret : « Ipsi erant prædi-
« cati, quæ de Christo viderant, » inquit S. Tho-
mas, *in Matth.,* « ideo ut magis in ipsis experti
« essent miraculis et essent certiores, voluit, etc. »
adducitque illum Psalmi cvi, 23, 24, textum : *Qui
descendunt mare in navibus, facientes operationem
in aquis multis, ipsi viderunt operam Domini et mi-
rabilia ejus in profundo.* In hac etenim adeo prodigiosi
miraculi occasione et divinam omnipotentiam
optime cognoscere et experiri poterant.

4. — Ordinavit quoque tempestatem istam non
solum ad suam majorem gloriam, verum etiam ad
insignem discipulorum suorum utilitatem, « Ut
« humilia saperent et non se extollerent, » inquit
S. Thomas, *ibid.,* « et hoc significabat futurum
« periculum, quod imminere debebat tempore
« Passionis; item alia de causa, ut scirent in peri-
« culis vivere et vincere. » Origenes, *Hom. cit.,*
dicit ita factum esse, « ut mitteret eis timorem, ut
« sum auxilium postularent, suamque potentiam
« roganibus manifestaret; » id quod valde est
conforme expositioni Glossæ interlinearis, dicentis :
« Ut magna virtus liberatoris videatur. »

5. — S. Hilarius pro instructione Ecclesiastico-
rum, sequens tradit documentum, *Can. viii in Matth.,*
dicens, « igitur secundum hæc, Ecclesie, intra
« quas verbum Dei non vigilaverit, naufragæ sunt.
« non quod Christus in somnum relaxaret, sed
« quod somno nostro consopiantur in nobis. » Idque
accidit, quando Ecclesiastici et præcipue Prelati ac
Pastores in cultu et servitio divino inertes sunt et
pigri, atque in procuranda animarum salute socordes
et negligentes.

6. — Verum enimvero ex quo jam naviculum
hanc, in quam Christus ascenderat, Ecclesie similem
esse diximus, tempestatem utique quæ eam con-
quassavit, feroces Ecclesie denotat persecutiones,
quibus in futurorum seculorum decursu conqua-
tenda erant. Unde Lyranus dicit : « Navicula
« fluctibus aperta, est Ecclesia militans in persecu-
« tionibus posita; » et Chrysologus a Glossa relatus,
Serm. xx, dicit : « Gentium flabra, Judæorum
« turbines, persecutorum procellæ, demonum
« nebule sic ruerunt, ut totus mundus una fieret
« tempesta. » Et quidem hæc tempesta navicu-
lam hanc impetere nunquam cessavit, nec tamen
eamdem ratem hanc mergere unquam poterit. Jan-
senius ait : « Hinc concussa Turcarum impugna-
« tione, hinc hæresum diversarum inquietata ventis,
« hinc Christianorum inter se belligerantium dis-
« tracta discordiis. » Verumtamen quod vel
maxime deplorari meretur, est, quod ipsamet
quoque serenitas marisque tranquillitas, qua navi-

cula hæc nonnunquam gaudet, omnium periculosissimam illi tempestatem comminetur, prout idipsum graphicè S. Bernardus deplorat, dum, *Serm. xxxiii in Cant.*, ait: « Olim prædictum est et nunc tempus impletionis advenit: *Eccc in pace amari- tudo mea amarissima*; amara prius in nece Martyrii, amarior post in conflictu hæreticorum, amarissima nunc in moribus domesticorum. » De hac persecutione, quæ Ecclesiæ a Christifidelium vitiiis malisque moribus infertur, S. Leo, *Serm. vi de Ep.*, diffuse discurrit.

7. — Tritum est proverbium; propter unum peccatorem navis sepe perit; id quod præsentî naviculæ revera accidisse videtur, siquidem hæc, ut S. Ambrosius, *Serm. xi*, advertit, propter unicum impium et sacrilegum Judam de naufragio periculata fuit. Quodnam obsecro in eo latet mysterium, quod in una eademque navî Salvator quiete Evangelium prædicat et simul eandem tam horrendæ tempestates infestant, maxime dum Petrus eidem quoque præsens assistit? Hæc est causa periculi: « Erat ibi Simon Petrus, sed erat pariter et proditor Judas; quamvis illius fides fundaret naviculam, hujus tamen eam perfidia conturbabat; » unius delicto cunctorum merita qualiuntur. » Ecce quam damnosum et exitiosum sit etiam vis sanctissimis et immaculatis malorum consortium.

8. — Paulus de Palatio, in *Math.*, oppositiones considerat, quas Christus et omnes, qui viam ejus sequuntur, perpeti conspiciunt; id quod S. Paulus Apostolus clare prædixit, dum II *Tim.*, III, 12, ait: *Qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur*. Ingens perfectio miraculum est, inquit idem Auctor, quod contra Filium Dei caro nostra et mundus arma parent, siquidem Angeli et universum cælum eum adorant et coram eo tremant Potestates; quod si alicujus nobis nocenti auctor existeret, aut tyrannice nobiscum ageret, aliquæ hujus odii adduci possent excusationes: « At contra Christum jacentem dormientem quis furor, o mortales? Quid vobis Christus aut pii Christiani nocere? an non potius vestra quærunt luera? »

9. — S. Augustinus sententiam quamdam habet, hinc Evangelii verbis mire accommodat; dicit enim, *Serm. xiv, de verb. Dom.*: « Unicusque sua cupiditas tempestas est. » Etiam fideles in hac Ecclesiæ militantis navicula, seu in mari hujus vite, in tantum a tempestatibus agitantur, in quantum illis effrenes et inordinate passiones prædominantur. Idem S. Doctor alibi scribit: « Audisti convitium? ventus est; iratus es? fluctus est. Vento igitur flante, fluctu surgente, periculatur navis, periculatur cor tuum, fluctuat cor tuum. Audito convitio vindicari desideras, et ecce vindicatus es et malo alieno cadens fecisti naufragium. » S. Antonius de Padua, *Serm. in hac Dom.*, per hanc maris commotionem, animæ ejusdam ad peniten-

tiam se convertentis, contritionem denotari docet: « Cum quis in naviculam penitentiae ascendit, motus magnus fit in mari: mare est cor hominis. » Quotiescumque Christianus aliquis ad vitam se transfert religiosam, vel spiritualem, statim vehementissimi tentationem venti insuffleat incipiunt; ac proinde non inutiliter Ecclesiasticus, II, 1, nos monet, dicens: *Fili, accedens ad servitium Dei, sto in timore et præpara animam tuam ad tentationem.*

10. — Apostoli in illa adeo impetuosa tempestate de propria vita desperare videbantur, alique adeo hisce verbis fuere reprehensi: *Modice fidei quid tui estis?* Neque enim intelligebant, quod Deus nonnunquam time vel maxime nobiscum sit ad nos juvandos, securioresque esse possimus, quod ipsum habitari sinus propitium, quando tribulationes et contradictiones ad summum usque pervenerunt: *Cum ipso sum in tribulatione; eripiam eum, et glorificabo eum;* imo vero naufragii periculum potius timeri debet in tranquillitate prosperitatis, siquidem ut plurimum dum summa est maris tranquillitas, ejusdem nobis proximè imminet tempestas.

11. — Notandum quoque est, quod incarnata illa et increata Patris Sapientia, non sine causa et singulari mysterio, permiserit, ut tempestas illa vel maxime et vehementissime ferociter et postea, quando omnes de salute desparabant, eadem deuo tranquillaret; siquidem hic est vulgaris Dei stylus, quo time vel maxime subvenire consuevit, quando necessitas nos premens ad summum pervenit: *Adjutor in opportunitatibus in tribulatione: Et sperent in te, qui noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quærentes te; exaudisti te in abscondito tempestatibus.* Unde Chrysostomus, *Hom. xxx in Math.*, ait: « Cum jam salutem fere desperasset, tunc salvantur. » Bethulia in prociectu erat, ut Holofernus potentia cederet, cum ecce de Judith prospexit, quæ truncaret caput Holofernis. Abraham jam ad impingendum in Isaac verticem, gladii ictum, dexteram suam extenderat, cum ecce misit Angelum. Sic quoque in Daniel adolescentulo, spiritum excitavit propheticum, ad liberandam Susannam, quando populus jam ad illam lapidibus obruendam in prociectu stabat. Petrus denique ex Herodiano carcere liberatus fuit nocte, quæ diem, in quo moriturus erat, immediate accedebat.

12. — Jansenius insuper observat, quod « summe periclitantes visus est prorsus negligere, » siquidem profundum dormiebat, veluti de ipsorum gravi periculo parum sollicitus. « Sic sane probantur sancti ut non solum supra, quam videantur sibi « ferre posse, affligantur, nam Paulus Corinthis « scribens: *Nolo, inquit, vos ignorare fratres, quoniam gravius sumus supra virtutem, sed sicut illa « se Deus erga illos exhibet, etiam cum actum ita « eis jam videtur, ut nullam eorum rationem habere « existimetur.* »

Ipse vero dormiebat.

13. — Auctor Imperfecti hoc loco quærit, qua ratione Filius Dei dormire potuerit, cum de eo scriptum sit: *Eccc non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel.* Et respondet: « Tamen Dominus « Salvator noster ad probandam in se suscepti corporis veritatem, etiam usque ad somnum humane « naturæ omnia implere dignatur, » ut nos de ejusdem assumpti corporis veritate certificaret. « Sic erat in omnibus, » inquit S. Thomas, in *Math.*, « et ubi volebat ostendere divinitatem, « semper ostendebat aliquid humanitatis; dormiebat, quia *hobitus inventus est ut homo.* » Lucas Brugensis ait: « Pro naturæ, diurnis laboribus « fessa, recreatione. » Ideo etiam, ut Albertus Magnus bene notat, postquam a turbis, quibus ut ex cap. IV S. Marci deditur, prædicaverat, tantum non oppressus fuisset, « quiete indiguit et in hoc « intelligitur, quam diligens et laboriosus fuit circa « nostram salutem procurandam. » Similiter quando in Samaritaniam, ad peccatricem illam mulierem convertendam, laborioso itinere progressus fuerat, *lassus ex itinere sedebat.* Verumtamen ex Cardinali Toletto advertendum est, quod Salvator noster, « Ita « dormiebat sensibus, ut pars rationalis non ligaretur, ut fit in nobis, animus ejus perpetuo vigilabat. » Unde Origenes scribit, quod eodem prorsus tempore, quo somni quiete captabat, simul etiam undosum illud elementum inquietabat: « Dormiebat corpore, sed divino natu conturbabat « mare. »

14. — Nimirum monstrare voluit, se maris omniumque aliarum creaturarum absolutum Dominum et Patronum esse, siquidem eo tempore, quo lignum sen navicula, quæ vehebatur, a furibundo mari in sui fere profundabatur abyssum, nec quidquam timebat, sed suaviter et profunde dormiebat: « In tanta tempestate, » inquit S. Thomas, *ibid.*, « manebat securus, » siquidem ipse erat, de quo Spiritus Sanctus dicit: *Librabat fontes aquarum, circumdabat mari terminum suum et legem ponebat aquis ne transirent fines suos, quoniam ipsius est mare et ipse fecit illud.*

15. — Ipse quidem dormiebat, sed ad hoc, ut Apostolos circa fidem divinitatis sue somnolentos excitaret: « Partim ut reteregerit, quæ latebat, « fidei discipulorum exiguitas, nam si vigilasset, « parum, aut nihil timuissent, confisi in carnali « magistri vigilantia præsentia, in qua toti defixi « erant. » Ita Lucas Brugensis, in miraculo autem, in sedandis subito maris procellis, patratio, ipsum vere Deum esse animadvertentur, ideo dixerunt: *Qualis est hæc?* « Dormiebat ergo corpore, » ut Origenes, *Hom. cit.*, inquit, « ut Apostolos excitaret « faceretque vigilare. » Jansenius insuper considerat, quod dormiente in hac tempestate Christo,

« major erat timoris et invocandi opem ejus occa- « sio. »

16. — S. Marcus IV, 38, scribit: *Erat ipse in puppi, super cervicali dormiens et exivit eum.* Didacus Stella id nobis non sine mysterio dictum fuisse notat: « Insinuat enim se esse paratissimum, veluti « in prociectu ad faciendum nobis; nam si in lecto « jacuisset, quis crederet eum resurrecturum, ut « laborantium opem ferret? » Salmeron dicit, ex hoc facto unumquemque discere posse, quod exemplo Christi ad reclinandum caput suum acceptare non debeat, « vel quodcumque cervicali oblatum, ut « Christus accepit. »

17. — Ergo dormio et cor meum vigilo, *Cant.*, v, 2. Ita Christus, in hac navicula dormiens, vere dicere poterat, quia tametsi ipsum a somno absorptum fuisse videri poterat, nihilominus vere vigilans erat, quoad partem rationalem; etenim Deus non nunquam se nostri oblitum esse simulat, relinquendo nos in afflictionibus, spiritus ariditate et tentationibus, sumque auxilium et consolationes sua differens et tamen, ut dicit Psalmista, xxxv, 18, 19: *Eccc oculi Domini super matuentes eum et in eis qui sperant super misericordiam tuam, et erant a morte animas eorum.*

18. — Paulus de Palatio per hunc Christi somnum, patientiam et longanimitatem ejus intelligit, quæ tot injuriis et offensas, quæ illi, non ab infidelibus dumtaxat, sed etiam a Christianis, isque hypocritis, irrogantur, in hac præsentî vita dissimulat. « Ad has omnes tacet, ac si dormiret, factus « est sicut homo non audiens et non habens in ore « suo reburgitiones. » Verum enimvero quoad hunc Christi somnum ita nobis arguendum erit, nisi turpiter decipi et falli velimus. Quodsi nunc in hac vita, dum se dormire, id est, patientiam et mansuetudinem suam exercere simulat, nihilominus turbulentam adeo in mari tempestatem excitat, id est, tot modis nos flagellat, adeoque rigorosis suppliciis nos castigat, quid futurum putas, quando in novissimo judicii die, excusso omni ab oculis somno, perfecte evigilabit? *Excitatus tanquam dormiens Dominus, tanquam potens erupitatus a vino, Ps. lxxxvii, 63.*

19. — Didacus Stella, in *Luc.*, vii, oculos suos ex una parte in perversos, et hoc tamen mundo prosperis omnibus affluentes, ex altera vero in justos et servos Dei, persecutionibus et ærumnis oppressos, conjicit, dicitque, quis hic divinam providentiam dormire non dicit? « Darent tamen in laboribus « pii, impii pertimeant, qui dormit, experiesceat; nunquid quis namque, non adiecit ut « resurgat? Resurget et unumquemque merito « afficiet premio. »

20. — S. Ambrosius, *lib. VI in Luc.*, somnum istum divinæ omnipotentie attribuit, quæ nihil formidare habebat: « Quomodo hic in tempestate « dormit? Exprimitur securitas potestatis; quod

« omnibus timentibus, solus intrepidus quiescebat. » Similiter Jesus dormiens hominem presignabat justum, divinæ voluntati perfecte conformatum, de quo Sapiens, Pr., XII, 21, ait: *Non contristabit justum quicquid acciderit ei.*

21. — Auctor Imperfecti, Hom. XXII, dicit, quod hoc dörpore Christi idem sit, quod Ecclesie navigantem sepemnumero a persecutoribus agitari permittere. « Dormire in hac navi Dominus tunc intelligitur, cum ad probationem fidei, Ecclesiam suam « pressuris et persecutionibus mundi istius tentari « permittit. » Vult itidem incarnata sapientia in hoc facto demonstrare, in quam periculoso statu constituta sint Ecclesie illæ, quæ Pastores et Prælatos somnolentos, inertes et otiosos sibi præpositos habent: « Quia in re Dominus depingere voluit, » inquit Salmeron, tom. VI, tr. XII, « ænigmatæ quodam, quantum imminet periculi rebus humanis, » quoties it dormiunt, humanis vite commodis delimiti, qui Christi vires susceperunt; nam Pastores Ecclesie alte et periculose indormiunt hodie « pulvis hujusmodi et cervicalibus innixi, apud « quo plus valet cervical quam Christus cum sua « Ecclesia. » Eandem lamentationem Jansenius, *ibid.*, super illis verbis instituit, dum ait: « Dormit « super cervical, quia in Episcopis et Pastoribus, « aliisque populi sui rectoribus, quibus commissa « est navis hujus gubernatio, dormit, dum voluptatibus dediti, commissi sibi gregis curam non gerunt, neque communi Ecclesie periculo adeo commoventur, ut expectati cogitent, quæ sint « officii eorum. »

22. — Glossa somnolentiam hanc Christianorum pigritiam denotare existimat, qui non operantur conformiter ad id, quod credunt: « Dormit in « nobis Dominus, id est, fides Domini, cum negligenti sine operibus: « Ille vero credit, qui exeret « operando, quod credit, » inquit S. Gregorius, Hom. XXVI, in *Evangelio*. Negligentia et pigritia in via Dei, certissimum est indicium naufragii: *Quia tepidus est incipium te evomere. Apoc.*, III, 16.

Additiones.

a. — *Et ecce motus magnus factus est in mari.* Divus Paschasius, *lib. V in Matth.*, habens reflexionem ad illam dæmonum ejectionem e corporibus hominum in regione Gerazæ, ad quam Dominus, hac navigatione tendebat, sic scribit: « For-
« tasse ergo, isti, ex permisso, conceitaverunt ventos
« adversus eum, et moverunt fluctus, non transmissio
« freto, ad eos veniret Judex. » Viderunt enim dæmones quod navicula illa, in qua Dominus ferebatur, in regionem in qua ipsi gressabantur, dirigebatur. Tunc furibundi et mententes Domini presentiam, et opera quæ in animalibus hominum operaturus erat, qualia ex precedentibus con-

tabant, magno conatu, ventorum impulsu ac maris commotionem excitarunt, an ita forte navicula illa alteram in partem delecteretur, et Dominus, cujus tamen potentie resistere non poterant, ab illa protectione desisteret. Dæmones enim ad hoc omnem suam adhibent industriam et conatum, ut viros perfectissimos et sanctissimos vincere possint. S. Ambrosius ait: « Studet supplantare diaboli bonis operibus intentos. Quantum laboravit Phariseus ille, ne raperet aliena, ne injustus esset, ne adulteretur? Quantum laborabat, ne peccaret sicut peccabat Publicanus? Quantum laboravit ut bis in Sabbato jejunaret et decimas daret: omnium quæ acquireret? Advertit hoc « diabolus et perfundit eum ulcere gravi, ut in eo « in quo laudabilis fore crederetur, ibi reprehensibiliter judicaretur. »

Nusquam invenietis, quod diabolus multum sit anxius et sollicitus circa illos qui domos caupum, comedorum, prostibulorum, aliaque similia indigna loca frequentant, sicut anxius orat eos qui solliciti sunt ut verbum Dei audiant, quoniam suas ad Deum debita cum attentione dirigant, confessionibus animam suam expient, sacra se communione reficiant; unde S. Prosper ait: « Vigilant tentatoris, insidie, ut ubi proficit devotio, « subrepat elatio, et ut homo de bono opere in « potius quam in Domino gloriatur. »

S. Paulus Apostolus, tunc vel maxime a dæmone in arenam certaminis provocatus fuit, quando post raptum suum e tertio coelo velut ignitus quidam Seraphinus in hanc terram repositus fuit. Dicit enim, I *Cor.*, XII, 7: *Ne magnitudo revelationis extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ qui me colaphizat.* « Diabolus enim « magis gloriatur de dejectione unius qui nulla « fecerat bona, quam multorum mediocriter viventium, » ait Lyranus.

b. — Erant discipuli in sublimi illa, sanctissimaque navi, in qua Christus ferebatur; et tamen hæc tempestas permittitur, ut ibi maxime timeant; quia esto quis in eminenti sit loco seu dignitate, ibi magnum timorem retineat; nam cum nullus sit immunis a casu, nullus etiam immunis sit a metu. Sublimia enim loca, præcipitia vicina comminantur; fortuna quæ exultat, eadem pariter deprimit. Cujus veritatem propositionis, reipsa expertus est in semetipso is qui omnium ambitiosorum primus fuit, Lucifer nimirum, de quo Propheta Evangelicus, Is., XVI, 13, ita loquitur: *Qui dicebat: in cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, ascendam super altitudinem nubium.* Ecce culmen ad quod conscendere nimis temere præsumpsit; vultis autem et præcipitium videre quod hujus spiritus superbie et arrogantia correspondere debeat: *Veruntamen ad infernum detraheris in profundum.* Ubi Oleaster ita scribit: « Vide hujus superbi

« ascensum et descensum: quanto enim altius se « extulit, tanto ad inferiora dejectus est. Ascen-
« dere voluit super astra cæli, et descendit ad ima
« sepulchri. » Unde Gregorius ait: « Elevatio ipsa
« ruina est, quia dum gloria falsa subnixi sunt, a
« gloria vera evacuantur. »

Porro æternæ veritatis est illa sæpius a Christo pronuntiata propositio: *Qui se exaltat humiliabitur.* Circa quæ verba advertendum est quod Salvator non dicat: *Qui exaltatur, sed qui se exaltat;* quia qui inviti ad sublimes dignitates promoventur, nec aliis quam meritorum gradibus ad easdem conscendunt, comminato huic lapsui minime subjiciuntur, dummodo in sua virtute persistent, seque quoad usque in sublimi illo statu valde alias lubrico constituti sunt, seduci nequaquam permittant.

c. — S. Ambrosius, *Serm. LXI, in D. V. p. Pent.*, sic ait: « Erat ibi Simon Petrus, sed erat pariter « et Judas proditor. Quamvis illius fides fundaret
« naviculam, hujus tamen eam perfidia conturba-
« bat. Tranquillitas est ubi solus Petrus navigat;
« tempestas, ubi Judas adjungitur. Licet esset
« Petrus firmis suis meritis, perturbatur tamen
« criminibus proditoris. » Sic maxime etiam virtu-
« tiosos, magisque in divino stabiles servitio, conversa-
« tione malorum pervertit.

Lamentabatur Deus noster per os Ezechielis Propheta, XXI, 26, de sacerdotum, aliorumque divino cultui deputatorum ministrorum, transgressionibus, qui indifferenter reproborum consortio fruebantur, et dicebat: *Polluerunt sanctuaria mea; interpollutum et mandatum non intellexerunt, inter sanctum et profanum non habuerunt differentiationem, et coinquinabatur in medio eorum.* S. Bernardinus de male societatis periculis tractans, hunc textum adducit, dum exclamat: « Admirabile verbum, et « omni studio dignum! *Coinquinabatur*, inquit. « Quis coinquinabatur? ille utique de quo Spiritus ait veritatis: *Canor lucis æternæ, speculum sine macula.* Dense igitur labis est capax? Responsum accipite a S. Bernardino: « Coinquinabatur, inquit, « non quod ulla inquisitionis via sit inquinamen-
« tis ad ipsum Deum, sed quoniam se abstulit ab
« eis, et separavit et longe fecit, quemadmodum
« facere consueverunt coinquinare timentes. » Ex
« quo prophætico oraculo practica hæc deducitur
« veritas, scilicet virtuosiores et sanctiores multo-
« ties etiam per conversationem malam corrumpi et
« perverti.

Præcensorem novimus omnes impeccabilem fuisse, utpote materno sanctificatum in utero, inque gratiam confirmatum; nihilominus tantum ab humana conversatione concepit horrorem, ut sua nequam confidens sanctitati, potius elegerit vivas in antris sepeliri ferarum: « Civium turbas
« fugiens petiisti, ne levi saltem maculare vitam,
« flamine posses. » Interrogatus quondam Aristip-

pus, quid maxime in vita admirandum esset? respondit: « Vir bonus inter improbos. » Sacram perscrutantes Scripturam, reperietis homines in primis sæculis, 600, imo et 900 quandoque annos attingisse. De Enoch nihilominus dicitur: *Facti sunt dies Enoch trecenti sexaginta quinque anni, ambulavitque cum Deo, et non apparuit.* Cur ab humano separatus consortio, inque Paradisum translatus fuit? Causam assignat Spiritus Sanctus, dum ait, *Sap., IV, 11: Raptus est ne multum mutaret intellectum illius.* Sanctus iste in sæculo, in quo omnis caro corruerat viam suam, vivebat; Deus citra continuum miraculum, eum a communi contagio præservare non potuisset. Equidem non est impossibile quod Deum omne verbum; sæpius equidem a leonibus Daniele et ab ardentis fornacis incendio tres liberavit pueros: ita quoque et S. Enoch, tot inter reprobos prolegete potuisset innocenter. Ast hujus modi nonnisi mundo exemplum dare, ne ullus quantumcumque sanctus, citra necessitatem et convenientiam, cum malis conversari presumat sub spe conservandæ innocentie.

S. Petrus, a Christo in Vicarium sum et Ecclesie sue basin ac columnam electus fuerat: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et tamen Deus ille, de quo Psalmista ait: *Diligam te, Domine fortitudo mea,* ut turpiter laboretur permittit. Scitis causam cur id permisit? Albertus Magnus, *Serm. XII de Pass.*, ait: « Ex infirmitate periculum « negationis incurrit, ex hoc sicut apparet, hosi-
« tare permittitur, ut in Ecclesie ordine remedium
« penitentiae conderetur, et nemo auderet de sua
« virtute confidere, quando mutabilitatis pericu-
« lum, nec B. Petrus potuisset evadere. » Christus quidem divinæ pietatis suæ oculo illum respexit: « Divino vidit intuitu, et parentis animum, mox ut
« respexit, erexit, et in fletus penitentiae incita-
« vit. » Atvero observetis velim, ubinam foverit, dicit enim sacre textus: *Egressus foras, flevit amare.* Quibus verbis innuitur quod ab eorum se sequestravit consortio qui lapsus sui causa fuerant. P. Alvarez, eadem de re ita discurret: « Ocasio foras « superat, quanto magis infirmos dejiciet? Sani et
« vegeti, in occasione, tanquam in loco insubstri
« positi, viti ægritudinem contrahunt; quanto
« facilius morbo infecti pestilenti ægritudine sub-
« rumentur? Cor hominis præcipue vitii affectum,
« est velut materies ad ignem suscipiendum parata: « si te illi per occasionem apponis, quid mirum si
« te ignis flamma comburat? »

d. — Poterant Apostoli sibi aliquam securitatem promittere ab exurgente tempestate, dum cum Jesu navim ascenderent; interim tamen seve tempestas exoritur. Sic quotquot naviculam prosperitatis conscendunt, et dignitates temporalis, securitatem sibi a mota magno, id est, ab insidiis et periculis non promittant, cum iis maxime sint obnoxii. Innocen-

tius III, de *Contemptu mundi* tractans, de iniquo Principum et Prælatorum statu ita scribit: « Sed « esto quod sublimiter in altum, statim curæ « succrescunt, sollicitudines cumulantur, vigilie « producantur, ex quibus natura corrumpitur spiri- « ritus infirmatur, corrumpitur somnus, amittitur « appetitus, debilitatur virtus, attenuatur corpus, « et sic in seipso deficiens, non dimidiat dies suos, « sed miserabilem vitam miserabili fine concludit. »

Quantum, obscuro, Moyses coram Deo lamentatus est quod se ad tam sublimem dignitatem, qualis est universale totius populi imperium, euectum cerneret? *Obscuro te ut interficiam me, et inueniam gratiam in oculis tuis, ne tantis officiar malis.* Aurelius Cassiodorus Theodorici regis senator et secretarius fuit, qui proinde ex propria experientia, magnatum ærumnas exactissime enarrare nobis poterit, de his ita loquitur: « Interdum assidui « labores, etiam ipsas ingratas faciunt potestates, « dum infirmitas humana cito sustinere solet fasti- « dia, et quod prius ambisse creditur, postea vitare « velle sentitur. » Porro Moyses ducatum populi Dei multoties quidem deprecatum fuerat, eo quod minus istud valde laboriosum, suasque vires nimium excedens apprehenderat. At vero postquam numeris illius molestias per propriam experientiam degustaret, verbis supra adductis, coram Deo de eo lamentatus mortem sibi præ munere isto meliorem esse censuit: *Obscuro te interficiam me.* Oleaster ad propositum nostrum, de Moysi supra adducta lamentatione, ita scribit: « Solent ambitiosi homi- « nos arbitrari se Deum habere propitium, cum « altiora loca, et seculi dignitates et officia conces- « serit, cum potius cum Moysæ sentiendum esset « secum male actum esse, si detur præfectura. Si « sapis, hoc iudica. »

De Adriano Papa IV, legimus ipsum solum fuisse dicere, sedem pontificiam quaquaversum spinis acutissimis plenam clamantem esse, qui unicequusque Pontificis humeros, quantumvis generosos et fortes rumpere et dilacerare non desinunt. Platina pariter de alio quodam Adriano Papa, hujus nominis VI, refert, hunc lapidi sepulchraii verba sequentia insculpi iussisse: « Adrianus VI, « hic situs est, qui nihil sibi infelicis in vita, quam « quod imperavit, duxit. »

e. — Marc non incongrue mundum hunc nobis representat, quia sicuti mare fluctibus et tempestatibus, sic ille inconstantia et fallacis agitur, sicutque mundane prosperitates plerumque scopuli ad quos allicentes anime, in profundum usque inferni naufragantur, et si que in hac vita conceduntur delicie et gaudia, tormentis compensantur æternis, in vita altera. Quam Dominus noster Saluator veritatem nobis insinuatam esse voluit in parabola diuitis Epulonis. S. Bernardus medium se inter diuitem in penis herentem et Abrahamum consti-

tuens, interrogat: « Hæcine cruciatuum causa tota « quod in hoc seculo bona recepit? Ita plane; neque « enim ad hoc nos de Paradiso voluptatis animadver- « sio divina eiecit videtur tibi hic Paradisum « adinvento humana pararet. » Quæ verba certe, si attentius considerentur, terrore plenissima sunt: « Hæcine cruciatuum causa tota? » Et tamen verissima sunt; et ratio est quia fortuna est veluti vinum quoddam forte et generosum, cujus fumi caput statim petunt, iudicium et rationem pervertunt, atque a vera et recta timoris et legis Dei via aberrare faciunt. Unde idem mellillius Bernardus alibi inquit: « O saculum nequam, quod solos « tuos sic soles heare amicos, ut Dei facias inimi- « cos. »

Animæ prædestinate, Christi, non vero mundi cibo nutriuntur. Equis autem est hic Christi cibus? *Mens cibus est,* inquit Saluator, *Hom., IV, 34, ut factum voluntatem ejus qui misit me.* id est, ut patiar ærumnas, miseras et angustias plurimas sustineam: *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam,* etc. *Ps. XXXIX, 9.* Porro esca mundi, similis est illi que piscibus, ut capiuntur, in aquas projici solent; eademque similitudine S. Augustinus utitur, *Hom. L,* ad demonstrandum quod hujus seculi prosperitates, non invidiam mereantur sed ingentem compassionem: « Noli gaudere, » inquit, ad piscem, qui adhuc in esca sua exultat; « nondum retraxit hamum piscator; » quem ubi retraxerit, cibus ille causabitur ut paulo post ex suo, cui innatabat, elemento extrahatur agonizans, moxque torrendus vel assandus superinponatur carbonibus. Idem quoque multis accidit, qui in hac presenti vita, pinguis hereditatis opulente, vel insignis fortunæ, vel dignitatum dominiorum, deliciarum, voluptatum, aliarumque prosperitatum temporalium bolis, iuxta cordis sui votum impinguantur, sed caveant sibi tales: « Nondum retraxit « hamum piscator; » ipsi hamum quem una cum cibo deglutierant intra fauces suas habent, nec tamen id advertunt, id quod præcipuum et manifestum est æternæ reprobationis sue iudicium: *Recordare quia recipisti bona in vita tua.*

f. — In mundi hujus oceano, anima nostræ navicula fluctibus operitur, quanto ita terrenorum honorum amore absorbetur, ut æternæ negligentiam. Saluator noster in hac, de divite, parabola que legitur *Luc., XII,* damnationem miseræ hujus anime solam ob affectu nimio quo bonis hinc terrenis immersus erat, suam traxisse originem, clare demonstrat; siquidem ille, post illam horreo suo diversi generis segetum copiosissimam messem hinc verbis animam suam alloquebatur: *Diem animæ meæ: Anima habes multa bona posita in annos plurimos; requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetam a te.* Ubi clare videtur quod dives ille

mox ut se bonis hinc temporalibus, per nimiam animæ suæ adhesionem et applicationem immergit, mox decretoriam damnationis suæ audierit sententiam, ut exinde perspicue intelligemus, quod unicus scopus, qui in vasto hujus vite mari multas, imo innumerabiles animas naufragari facit, sit nimia honorum temporalium æstimatio, nimis affectus, quo erga illa magis quam erga animæ salutem ferimur.

Dives ille animam et ventrem suum unam eandemque rem esse credebatur, atque adeo ac si nulla animam inter et corpus distinctio esset, dicere audebat: *anima mea, comede, bibe, et epulare.* Ubi S. Basilius, *Hom. VI, de Diuit.,* ait: « O verba stultissima! nam si porcinam habuissent animam, quid aliud ipsi enunciare potuissent? tam improvidus est circa bona animæ, ut escas corporeas anime adscribat. »

S. Bernardinus, ait: « Tam vilem æstimat cupidus animam suam, quod quandoque pro uno denario dabit eam, imo quod nequius est, sæpius pro minus denario, vel pro nihilo. Inter vendentes et ementes mendacia perniciosa quandoque concurrunt, nulla venditione vel emptione commota. » Hujusque tam parvæ destinationis, quam de anima habemus, aliam quamdam rationem hoc argumento adducit: « Terguntur caligæ et sordes lares cum inquinati sunt, et anima multis secleribus inquinata sordescit. Si videt armiger equum vulneratum ad mortem, etiamsi suus non sit, dolens atque compatiens ait: O magnum peccatum! nec tamen dolet si multis peccatis mortali- bus anima sua vel proximi vulnerata sit. »

g. — Non inepte per furentes ventos sævientem tempestatem, insurgentes undarum voragine, interpretari possunt convitia, opprobria, injurie quibus ab adversariis humanus animus degens in hoc seculo impetitur, ex quibus ira movetur ac infervescit, ut nisi in eis exsurgat Jesus exemplo suo infundens pium benevoluntique affectum, sine dubio humanum pectus in inevitabile iræ ac vindictæ impelleret naufragium, unde Christi jugiter in injuriarum tolerantia attendendum exemplum.

S. Petrus omnium sub Christi insignibus militantium fidelium director, in prima Epistola sua, II, 21, hoc nobis documentum tradit, scilicet quot Dei Filius pro nobis passus sit, ut suo nos doceret exemplo, nosque ipsius vestigia sequeremur: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Ut autem sciamus, quantum sint vestigia, per que gradi debemus, suffrentiam proposuit injuriarum dicens: *Qui cum malediceretur non maledicebat.* Et S. quidem Isidorus Pelusiota, nullum unquam tot, quot Saluator noster, adeoque graves injurias sustinuisse opinatur, dicens: « Neminem ego unquam tam tantisque articulis injuriis et contumeliis affectum esse, quot

quantisque affectus est celestium Rex, cum in terra venisset, et quidem ab illis quos servatum venerat; qui neque latroni homicidæ prælati « est, sed et colaphis cæsus. Et si similia forte quis « perpersus est, detur enim illa esse, attamen hoc « dissimiles et impares ostendit perpersiones, quod « illi qui perpersi casu sunt non a pari dignitate « descenderunt. »

S. Ambrosius, *lib. II de Fide,* postquam prolixius de passionibus Christi egisset, tandem ad injurias descendens, ita scribit: « Injurias passus est ne tu « injuriam tuam doleres; grande remedium, salu- « tum habere de Christo. Ille enim pro nobis hæc « patientius tulit, et sumus qui patienter hæc pro « illius nomine ferre nequeamus? » Nec est quod quis sibi persuadeat, quod tacendo, injurias minime ulciscendo, suam sit dimittitur existimationem, quia si S. Chrysostomo, actionum honoratarum hominis Christiani competenti iudici, credere volumus. « Longe gloriosus est ad imitationem « Christi injuriam tacendo tolerare, quam superare « respondendo. »

Quod si dixeris nimis altum signum esse Christi exemplum, qui Deus et homo simul erat, ac proinde fragilitatem humanam ad illud pertingere nequamquam posse, respondeo cum S. Augustino dicente: « Tot viri, tot mulieres, clerici, pueri, tantæque et « tam delicate puellæ, flammæ et ignes, et bestias « æquanimiter pertulerunt, et nos stultorum homi- « num convitia dicimus tolerare non posse? » Quæ nobis malorum hominum nequitia inferuntur, si possimus etiam usque ad mortem illorum nostras injurias vindicamus; unde nescio qua fronte, vel qua conscientia, cum omnibus Sanctis, in æterna beatitudine partem habere desideramus, quorum exempla sequi in rebus minimis non acquiescimus.

h. — Calumnias, sicut venti aquas maris, viros etiam sapientes et perfectissimos conturbant. David porro vir erat generosissimus adeo ut in annis suis juvenilibus dilaniaret ursos, et leones occideret, et tamen adeo ad calumnias cohortitur, ut haud immerito se ab illis in transgressionis divinorum præceptorum barathrum, præcipitandum esse formidavit; unde Deum rogavit dicens: *Redime me a calumniis hominum.* *Ps. cxvii, 134.* Sed quo fine id tanta cum animi anxietate a Deo petiit? *Ut custodiam mandata: non tradas ne calumniaribus me: suscipe seruum tuum in bonam, ne calumiantur me superbi.* S. Ambrosius hujus a Davide facta deprecationis rationem reddit, dicens: « Qui enim opprimitur a calumnia, non facit potest custodire « mandata divina; tristitia necesse est plerumque, « aut timori cedat, et affligatur, vel metu calumniæ « vel dolore. »

Calumnia cor vulnerat; Ecclesiastes, vii, 8, non solum calumniam ad sapientem turbandum suffi-

cere dicit: *Calumniam conturbat septientem*, verum insuper subiungit: *Et perdet robur cordis ejus.*

Iusti specialiter a calumniis infestantur, ut plurimum Sanctorum, imo et ipsiusmet Christi Domini exemplo comprobatur; sed Deus calumnias earumque falsitatem communiter detegere et manifestare consuevit. S. Bernardus, *Serm. xvii, in Cant.*, ita scribit: « Ubique et semper iudicabit Dominus populos, et humiliabit culmanniatorem; ubique et semper defensabit suos, propulsabit nocentes, et tollet virgam peccatorum desuper sortem justorum, ut non extendant iusti ad iniquitatem manus suas. »

Sed hæc est magna calumniarum sufflerentium consolatio sententia Domini Nostri Jesu Christi dicentis: *Beati estis cum maledixerint vobis, et dixerint omne malum adversus vos mentientes, propter me. Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis: sic enim persecuti sunt Prophetas qui fuerunt ante vos. Matth., v, 11, 12.*

i. — Divus Paschasius, *lib. V, in Matth.*, hanc maris commotionem asserit fuisse ostentationem lætitiæ ob præsentiam Dei ac Domini sui; in quo ponderatione Paschasi dici potest, quod ubi primum mare agnoscit se Dominum recipisse, se sentiens indignum ad sustinentiam tantam majestatem, statim totis artibus contemnit, aquarum voragine velut celerato cursu fugiunt, ima maris commoventur. Quod si hoc in insensibilibus, quanto non magis homo rationalis trepidabit ad presentiam Domini sui, maxime vero is qui indigne recipit in sacra Eucharistia? Cogitandum siquidem omni accedenti ad illum cibum salutarem, qualis sit, quid accipiat, et ad quid.

Qualis? Quoniam si dignus ad illud, et sacramenti veritatem sumit, et virtutem: *Qui manducat me vivet propter me.* Si indignus, veritatem revera corporis, et sanguinem Christi sumit, sed non virtutem, et quidem iudicium.

Quid? A bonis et malis indifferenter Christus corporaliter totus singulari, integerque sumitur sub specie transsubstantiali rei. *Ad quid?* Ad vitam, vel ad mortem pro fide meritoque sumitur. « Mors est malis, vita bonis; vide parum suspensionis, quam sit dispar exitus. » Unus idemque panis, in se ipso panis, et cibus est vitæ, et nihilominus respectu aliquorum, mortis est instrumentum, non ob defectum suum, sed illorum, qui indigne ipso vescuntur. In cœnacula Sion, omnes Apostoli indifferenter commensales adhibiti sunt Salvatoris, siquidem « cillum turbæ duodecim, se dat suis manibus, » et nihilominus unus eorum intra breve tempus desperans, se suspendit, strangulavitque in arbore: *Suspensus crepuit medius, et diffusa sunt omnia viscera ejus, Act., i, 18.* Causamne nostis tantæ diversitatis? Si eam intelligere cupitis, D. Augustinum audite, *Serm. xix in Appen.*, dicentem: « Judas discipulus, fuit ut illi undecim; sed illi

« quidem dicebant Domino: *Ubi vis paremus tibi manducare Pascha?* » Iste vero se ad tradendum Dominum præparabat.

« Qui panem hunc ab aliis cibis non secernens indigne sumit, suam deglutit damnationem, Christumque sumit iudicem, sibi soli, et non Christo nocens; condemnationis suæ sententiam simul cum speciebus sacramentalibus deglutit. » *Judicium sibi manducat et bibit*, quis magis iudicem quam Salvatorem manducat, » dicit Baldwinus, Epis. Cantuariensis. S. Pacianus, impio cuidam hoc tantum sacramentum irreverenter tractanti, his verbis impropert: « Evigila peccator, time in visceribus « tuis presens iudicium. »

S. Laurentius Justinianus, ex hac Apostoli propositione: *Si quis templum Dei violaverit, destruet illum Deus*, ita arguit: « Quid de his arbitrandum est qui « sceleribus onerati, absque ulla devotionis veneratione, ad Dei et Domini sui mensam spiritalem « audent accedere, corpus ipsius sumere pollutis « interioris hominis manibus, atque animo infru- « nilo et irreverenti, mysteria sacrosancta tractare? » S. Bonaventura respondet: « Indigne « sumentibus nulla mala occurrunt. Nullius enim « opus placet Deo, nisi placeat ipse prius. Indigna « enim communio, peccatis hominem illaqueat, « damnationem præparat, proximum scandalizat, « mentem excecet, tentationi subjugat, Deum irritat, vitam temporalem breviam, gratitudinis spo- « liat. »

Si quis autem porro quaesierit, quare Deus hujusmodi transgressores diebus supplicis obruere differat, respondet S. Paschasius de sacrilego et indigne communicante tractans: « Certus sit, quia ultores « Angeli, nec semel indigne communicanti parcerent, nisi bonitas Christi, in cujus iudicio pendent « omnia, et cui commissum est, ut signum ponat « suorum in frontibus, gladium suspenderet, et re- « moveret interdum momentaneam mortem. Quod « sane delictum, nullo alio, nisi Christo interveniente, donabitur. Sed Dominus qui eos continuo « non punit, numquid non curat, aut suas injurias « ita tenus multas obliviscitur? Nequaquam hoc « dixerim, præsertim cum idem videat, et ad iracundiam exinde amplius concitetur, eo quod pro- « vocent eum filii sui, et filias in iram, quos Angelorum gratis sociaverat mense. Hinc quoque « est, quod sequitur: *Abscondam faciem meam ab eis; considerabo novissima eorum.* »

j. — Cyrillus, in *Catena Græca*, et D. Chrysologus, *Hom. xxi*, per hanc navim Ecclesiam Christi agnoscunt, quam tyranni sua impio crudelitate, hæretici suis falsis dogmatibus et erroribus impetunt, et spumosis fluctibus suarum questionum ac disputationum, contra sacra dogmata catholica, quæ potius fidei obedientiam, quam humana discursiva ratione sunt veneranda, insurgunt, ac navim Christi

opprimere intendunt. Tamen in vanum laborant, et tantum abest, quin opprimant, quin etiam potius per has ipsas contradictiones et persecutiones magis solidetur, et in veritate stabilatur ac confirmetur.

Quando Filius Dei, *ut sapiens architectus fundamentum posuit*, I Cor., iii, 10, Ecclesiam suam supra solidissimam Petri petram erigendo, de quo S. Augustinus ait, *Serm. xxix de SS.*: « Dignus qui « edificandis in domo Dei populus, lapis esset ad « fundamentum, columna ad sustentaculum, » simul etiam eidem portas inferi nunquam contra illum prævalituras esse, per altissimam præscientiam suam infallibiliter prædixit, dum ad S. Petrum inquit: *Super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalent adversus eam, Matth., xvi, 18.* Circa quæ verba Doctor Angelicus quaerit: « Qui sunt portæ inferi? Hæretici, item tyranni, « demones, peccata. » Similiter Albertus Magnus, qui magnus S. Thomæ Aquinatis Magister fuit, super eadem verba glossando ait: « Non prævalent ut « evertant. Venerunt flumina, flaverunt venti, des- « cendit pluvia in domum illam, et non cecidit; fun- « data enim erat supra firmam petram. »

S. Leo Magnus, eximius S. Petri successor, ex cathedra Petri futurum pronuntiavit, *Serm. i in Natal. Apos. Petri et Pauli*, « quod nec ullo crude- « litatis genere destrui possit sacramento crucis « Christi fundata religio. » Similiter S. Chrysostomus, *Hom. iv de Verb. Isaïæ*, catholice fidei nostræ hoc attribuit encomium, « quod scilicet « Ecclesia firmiteribus quam cælum ipsum radi- « cibus defixa hæreat. Oppugnati sunt undecim « discipuli: totus orbis oppugnabat, verum qui « oppugnabant vicerunt, qui oppugnabant sublati « sunt. Oves devicere lupos. »

At vero dicat aliquis, cur Deus huic naviculae cujus clavem S. Petro gubernandam commisit, tot validas tempestates immisit? Hujus efficacem quandam rationem S. Cyprianus paucis verbis assignat dicens: « Conflictatio in adversis probatio est veri- « tatis. » Quanto enim longius errores et hæreses progrediuntur, tanto veritates catholice quæ ab hæreticis impugnantur, a sacris doctoribus illas suis scriptis profligantibus, majori certitudinis lumine illustrantur. Quando nos Dei infallibilem providentiam, suam deseruisse Ecclesiam credimus, quando atrociores aquilo ventos suscitatur, quibus Ecclesia concutitur, tunc Christus in hac navicula vel maxime presens adest, et quiete ac suaviter dormit: *Ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus; et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus; ipse vero dormiebat. Quotidie ad malitiam capimus: Quoniam ipse est mare, et ipse fecit illud; ac proinde navicula Petri securissima est, quod per quantumvis procellosam tempestatem non periclitabitur, quia Deus illius est Dominus et nauculerus;*

sed ut D. Chrysologus ait: « Gubernatoris peritiam « non probat tempestas serena, sed procellosa tem- « pestas. »

Idem quoque D. Chrysologus, *Serm. x*, Deum eisdem ventorum furis precipere inquit, ut se in hujus naviculae emolumentum, et profectum obsequiose inclinent, et submittant: « Mare, hoc est « mundum corripit, tranquillat orbem, reges miti- « gat, sedat fluctus, componit populos, Romanos « efficit Christianos, ipsosque executores Christianæ « fidei reddit, qui fuerunt persecutores. » Adeoque, ut observat Cardinalis Baronius, dum persecutores in Ecclesiæ suæ defensores commutat, aliud inde concludi nequit, quod hæc sit *mutatio dexteræ Ecclesiæ*. Quis enim alius præter Deum, iudicium rationis et discursum persecutorum obfuscare poterat quando per suam impietatem fidei exaltationi insensibiliter cooperabantur? « Nescientes Ecclesiam « Dei, » inquit S. Leo, « per furorem suæ crudeli- « tatis augeri, quoniam in suppliciis, et mortibus « beatorum martyrum, qui putabant minui nu- « mero, multiplicabantur exemplo. » Et Eusebius Emisenus: « Ecce profanus hostis nequaquam ei « tanto professe potuisset obsequio, quantum « profuit odio. »

k. — Paulus de Palatio oppositiones et contradictiones hic considerat, quas Christus unquam perpessus est. Ac proinde, inquit idem auctor, ingens profecto miraculum, quod contra Filium Dei, caro nostra et mundus arma parent, siquidem Angeli et universum cælum eum adorant, et coram eo tremunt Potestates. Quod si adhuc alicujus nocenti nobis auctor existeret, aliquæ possent adduci excusationes: « At contra Christum tacentem, « dormientem, imo crucifixum, quis furor, o mor- « tales? »

Ludolphus Carthusianus considerat, Judæos omnes certatim quibus poterant modis Christum in cruce pendentem derisisse, et contumeliosis excogitabilibus affectis; ita enim scribit: « Nota quatuor « differentias illudentium Christo in cruce. Prima « erat sententium, qui eum observabant. Secunda « præterentium, qui eum blasphemabant. Tertia « stantium sacerdotum et seniorum. Quarta pen- « dentium latronum. In sedentibus deliciosis et aco- « diosi. In prætereantibus cupidi et avari, qui præ- « terentia sequuntur, et viam justitiæ supergre- « diuntur. In stantibus superbi et elati, qui stant « per appetitum excellentiæ. In pendentibus, scilicet « latronibus, impatientes et querulosi de adversi- « tate. » Et paulo post subdit: « Multis non sufficit « Christum crucifigere peccando, sed etiam peccando « crucifixum, peccata iterando vel de decedent se « jaclando. »

l. — Mare in quo magnus motus factus est, ascendente Jesu in navicula, non incongrue mundum significat, qui sicuti mare fluctibus, et tempesta-